

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

acquirens. Hoc eo magis remouet, quo magis homines deprauati huc inclinant. Quando sub finem *com. 16.* tale subiungit suspirium: καὶ πρὸς τὰ ἄλλα τίς ἰκανός, suarum his verbis virium defectum, submississimo animo, in hoc tam difficili negotio, ingenue confitetur, & omnes vires ad eius deponit pedes, a quo acceperat.

§. XIV. Non autem necesse est vt cogitemus, hoc loco Paulum, ministerium euangelii obiter vel casu forte, odoris boni insignire nomine. Si eam teneremus sententiam, magno opere profecto falleremur, nec nos Pauli mentem inspexisse, manifestum esset. Certe frequens huius locutionis vsus, lectorem extra dubitandi licentiam constituit. Iudaeos imprimis eius vis & emphasis latere non poterat, quippe qui, vt supra ostendimus, acceptiones notatu dignissimas, frequenter satis ob oculos habebant. Si apocryphi libri testimonium alicuius momenti foret, ad Siracidem prouocari posset, qui virtutes fidelium hoc sub schemate designauit, *cap. XXXIX. 18. coll. Hof. XIV. 7.* Quid? quod ex vsu quotidiano sensus eiusdem cuius facile patet. Causam ergo indagemus cur apostolus, vel Spiritus sanctus, hanc nostro in loco adhi-

adhibere voluerit phrasin, quando dicit: *χρη-
58 εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ.*

§. XV. Procul dubio id Spiritui sancto placuit, ob specialem & notabilem quendam ad vetus testamentum respectum. Retroducit nempe mentes nostras ad veteris foederis ritus & typos, quorum explicationes nouum testamentum vndiquaque exhibet. In horum numero recensenda quoque sunt, accensa thura late fragrantia, & suffimenta fumos exhalantia, quae quotidie tam matutino, quam vespertino tempore, DEVS accendere iusserat. *Exod. XXX. 7. 8.* Nec non speciale illud odoramentum, quod die anniuersariae expiationis in sancto sanctorum, arcam foederis versus, adolendum erat, *Leu. XVI. 12. 13.* Fumos vero sacrificiorum, vt alii putant, accensorum hic respici, quos ventus offerentes versus profuerit, sacra scriptura nusquam docet. Vnde merito hoc mittimus, & potius typum odoramenti prosequimur. Ipse DEVS Mosi confectionem huius suffimenti sacri praescripserat, *Exod. XXX. 34-38.* *Ieboua dixit ad Mosen: sume tibi aromata, stacten, & onychen & galbanum; aromata ista & thus purum solum, quod-*